

interiit exercitus, mutari enim fata non possunt: aut, si fato (quod certe vobis ita dicendum est); etiam si obtemperasset auspiciis, idem eventurum fuisset. Ubi est igitur divinatio ista Stoicorum? quae, si fato omnia fiunt, nihil nos admonere potest, ut cautiores simus: quoquo enim modo nos gesserimus, fiet tamen illud, quod futurum est. Sin autem id potest flecti, nullum est fatum. Ita ne divinatio quidem, quoniam ea rerum futurarum est. Nihil autem est pro certo futurum, quod potest aliqua procuracione accidere, ne fiat.

Nat. Deor. III. 13. Nullum potest esse animal, in quo non et appetitio sit, et declinatio naturalis. Appetuntur autem, quae secundum naturam sunt, declinantur contraria; et omne animal appetit quaedam, et fugit a quibusdam. Quod autem refugit, id contra naturam est: et quod est contra naturam, id habet vim interimendi.

Tusc. III. 4. A. Videtur mihi cadere in sapientem aegritudo. M. Num reliquae quoque perturbationes animi, formidines, libidines, iracundiae? Haec enim fere sunt ejusmodi, quae Graeci πάθη appellant; ego poteram morbos, et id verbum esset e verbo, sed in consuetudinem nostram non caderet. Nam misereri, invidere, gestire, laetari, haec omnia morbos Graeci appellant, motus animi rationi non obtemperantes; nos autem hos eosdem motus concitati animi, recte, ut opinor, perturbationes dixerimus: morbos autem non satis usitate; nisi quid aliud tibi videtur. A. Mihi vero isto modo.

Tusc. IV. 19. 20. Quid? quod iidem Peripatetici perturbationes istas, quas nos exstirpandas putamus, non modo naturales esse dicunt, sed etiam utiliter a natura datas? Quorum est talis oratio. Primum multis verbis iracundiam laudant: cotem fortitudinis esse dicunt; multoque et in hostem, et in improbum civem vehementiores iratorum impetus esse; leves autem ratiunculas eorum, qui ita cogitent: Proelium rectum est hoc fieri; convenit dimicare pro legibus, pro